


PRAECLARISSIMO  
 TIS INSIGNIBUS  
 DOTIBUS, AC ORNAMENTIS  
 VIRO, ET ANTISTITI  
 ILL<sup>MO</sup>. D. D. AUGUS.  
 ET PALOMEQUE, DIGNIS-  
 DIOECESIS  
 A CONSILIIS



AVITAE NOBILITA-  
 HEROI: ANIMI  
 VIRTUTUM FULGENTISSIMO  
 VENERANDO:  
 TINO DE LEZO,  
 SIMO PAMPILONENSIS  
 EPISCOPO;  
 REGIS &c...

NON UTIQUE MIRUM, ILLUSTRISSIME DOMINE, SI INANITATIS, FASTUS VE, QUIS ME DEFERAT REUM, CUM TANTULUS, abiectus que Tiro, hac mea imbecilla indolis litteraria otiumcula Tanto Principi nuncupare, sin ausus: fateor equidem, tanquam iniustum Rerum Estimatorem Juré inclamari, posse; si huiusmodi officium par illi Dignitatis Culmini censèrem, quo te sapientia, eruditio, Probitas, tot, tam que ingentia Merita vehèrè, confluerunt: Pietati tamen, Amori que erga se meo, tantisper indulgendum; ac Parentis iussioni erat obtemperandum, qui mihi currenti, stimulum addidit, ut Beneficiis devinctus, queis nos munificè cumulas, hoc tibi exhiberem grati Animi Monumentum: Parenti, inquam, meritò conivendum duxi; cui nihil iucundius, nihil familiarius quam die, nocte que, gratibus, & laudibus te Venerari: Tanta etus in te est, etiam absentem, Reverentia; tanta observantia, tanta Gratitude!

FOVE ITAQUE, RELIGIOSISSIME PRÆSUL, LITTERARUM SPECTATISSIME CULTOR, HAS JURISPRUDENTIÆ THESES, QUAS, EX INSTITUTION. IMPERAT. Iustin. Ad Palestram desumptas, Amplitudini tue Submisus. O. D. C.

D. EMMANUEL A MARDONES GALARZA BARRENA, JURIS CIVILIS STUDIOsus.

EX LIB. I.

EX LIB. II.

EX LIB. III.

EX LIB. IV.

1. **C**ALSA EFFICIENS, ET FINALIS justitiæ, habitu animi fulcitur, quò velle firmitèr movètur, ut jus cuique suum tribuatur: idque indicari, teneo, dum constans tribuendi voluntas justitiæ dicitur.
2. Ad hoc justitiæ munus expediendum, Jurisprudentiæ opus est, quæ in Juris publici, & privati notione nititur; ac discernere docet Jus cuiusque suum, quid ve Æquum, aut iniquum sit.
3. Jus publicum, lata, & sublimi significatione gaudens, hic solum sumitur, quod ad publicam utilitatem pertinet, ad differentiam privati, quod singulorum causa comparatum est, indice natura, aut naturali ratione, aut civili.
4. Licet Jus naturale sit, quod natura omnia animalia docuit, in Brutis non nisi materialiter cadit; cum solo instinctu, & naturæ motu ducantur.
5. Adversus naturam est liberorum hominù, & servorum discrimen, atento Jure primario ipsius naturæ, qua omnium conditio par erat; non tamen secundario, quod vocatur Jus Gentium.
6. A Domino institutus servus, expressa, aut omissa libertate, etiam in fraudem creditorum, habetur manumissus; & liber, hæres que fit morte testatoris.
7. Consensus Paternus requiritur, ut filii familias honestè, & legitimè possint nuptias contrahere, ex naturali, & civili ratione, suadente, in Re Tanti momenti consulere voluntatem Parentum, in quorum potestate sunt.
8. Tunc jure subsistit tutelæ datio à Patre testamento constituta, si liberis fiat impuberibus, in potestate existentibus; in quibus Posthumi numerantur.
9. Universo Pupilli negotio, unde potest eius conditio fieri deterior, debet tutoris sui intercedere autoritas.
10. Pariter tutor, ac curator remotus ut suspectus, nota infamiæ afficitur, si remotio causa doli, non culpæ, decreta fuit.

1. **R**ES SACRÆ, RELIGIOSÆ, ET sanctæ sic ab hominum commercio exemptæ sunt, ut neque ullius sint, neque umquam fieri possint.
2. Fera vulnerata, non vulnerantis, sed capientis fit naturali ratione Occupationis, cuius effectu cæteræ res, quæ nullius sunt, primo Occupanti acquiruntur.
3. Dominium novæ Speciei, factæ ex aliena materia, regulari debet secundum Imperatoris mediam sententiam, si reducibilis nempe, vel non, existat materia.
4. Bonæ fidei possessor indistinctè omnes fructus suos facit, tam naturales, quam industriales, licet diverso respectu, & dominio; at mala fidei possessori non idem concessum est.
5. Dissensio in causis tradendi, & accipienti non impedit translationem Domini, si vtrinque causa fuerit idonea; velut, cum pecuniâ, quam animo donandi quis tradidit, quas mutuatam alter accepit.
6. Sustinetur ususfructus legatum etiam Rerum, quæ usu consumuntur, satisfactione à fructuario præstita, tanti restituendi, quanti res ipsæ æstimentur; hoc que remedio quasi ususfructus manet constitutus.
7. Impossibilis conditio in hæredis institutione, legato, & fideicommisso apposita pro non scripta habetur; in contractibus vero, eos inutiles reddit; sive factò, aut natura impossibilis sit, sive Jure, velut turpis, contra Leges, & bonos mores; si quidem non possumus, nisi quod honestè possumus.
8. In testamenti celebratione nullus actus intervenire debet extraneus; ne per eum à deliberatione memoria avocetur.
9. Si Testator, postquam rem suam legaverit, ipsam alienare transeat, nulla necessitate motus, quia animus adimendi subesse videtur, extinguitur legatum.
10. Testamentum, in quo filius, in potestate existens, præteritus invenitur, licet Jure Civili non subsistat; attamen Jure prætorio validum sustinetur; ex eo, quod Prætor huiusmodi filio Possessionem tribuat contra Tabulas.

1. **E**TSI CONTRACTUS DIVERSE perficiantur, Re nimirum, aut Verbis, aut Litteris, aut Consensu, nulla ex eis producitur obligatio, si commune contrahentium Placitum, & consensus omnibus non interfuit.
2. In contractu Mutui non liberatur debitor ob interitum rei mutuatæ; non solum quia generis debitor est, & genus numquam perit; sed quia dominium ad se fuerat translatum.
3. Commodatarius, cuius utilitas tantum versatur, omnem culpam præstat, latam, levem, & levissimam, nisi aliud convenit; quippe contractus ex conventionione Legem accipit.
4. Stipulatio, purè facta à servo hæreditario, hæreditati acquiritur, & protinus debetur; cum statim & veniat, & cedat puræ stipulationis dies.
5. In Litterarum obligatione, qua quis confesus est, aliquid mutui accepisse, exceptio non numeratæ pecuniæ, intra biennium opposita, onus probandi transfert in creditorem; transacto autem biennio, in contrarium vis confessionis vertitur; & debitor plane obligatur.
6. Fideiussor in maiorem summam, quam principalis, non potest obstringi; & si ita evenierit, quanvis non in totum, in excessu saltèm vitatur obligatio.
7. Perfecta Emptione, & venditione, simul ac de prætio partes convenerint, si sine scriptura agitur, Periculum rei venditæ illicò ad emptorem pertinet; tametsi adhuc tradita non sit.
8. Sicut Conductoris, ita etiam Locatoris hæres, stare Locationi tenetur; cum neutrius morte intra Conventum tempus finiatur; secus est in Mandati, & societatis negotio; ubi industria, & fides certæ personæ electa censetur.
9. Æqualis debet pars lucri, & damni in Societate æstimari, dummodo aliter pactum non fuerit; sin autem in lucro tantum expressa sit portio, eadem in damno observanda est.
10. Re adhuc integra, nudo dissensu tollitur omnis obligatio, quæ solo consensu fuerat contracta; at si traditum sit aliquid eorum, quæ ex contractu debebantur, requiritur etiam, præter dissensum, accepti restitutio.

1. **M**ALEFICIUM CAUSA COMMUNIS ponitur obligationum, quæ ex delicto, aut quasi delicto proveniunt, ut Furtum Rapina, Injuria, Damnum; ad quæ referri, cætera possunt.
2. Cum ex actu, & proposito delinquentis Maleficia æstimentur, furtum non est, si contractatio Rei, & animus furandi non interveniat.
3. Nec in rebus tantum, sed in hominibus etiam furtum committitur, adeò, ut, qui alienum servum, aut liberum hominem suppressit, Plagiarium pæna, Lege Fabia, plectatur.
4. Rapinæ Reus improbus fur reputatur, et Legis Juliæ de vi publica, aut privata, pænis obnoxius; prout qualitas violentiæ exigere videatur.
5. Speciale est in Rapore, pænam pati, etiam si dolo careat, existimans rem suam esse, ob pessimum exemplum, & periculum turbationis publicæ, quod sequeretur, vi & privata manu occupando; Jus que sibi in sua causa dicendo.
6. Huc spectat recuperandæ possessionis remedium, quod interdictum unde vi appellatur, contra eum, qui violentèr aliquem de possessione prædii deiecit; in cuius odium statim, & sine exceptione restituitur deiectus.
7. Spectat huc etiam optima Actionis definitio, quæ nihil aliud est, quam Jus persequendi in iudicio, quod nobis debetur, ne quis putet posse vi, & autoritate propria occupare; sed de eo cum adversario coram legitimo Iudice experiri.
8. In datione damni, sive dolo, seu culpa fuerit illatum, sarcire adstringitur autor, aut Lege Aquil. si corpore suo dedit; aut actione in factum, si alio modo contigit.
9. Non quod æstimatio damni solvatur, Iudicium criminale evanescit; veluti si servus dolo fuerit occisus; adhuc enim reus iudicio publico tenetur Legis Corneliæ de sicariis; quæ non distinguit, cuius conditionis sit homo interfectus.
10. Iniuria, specialiter sumpta, contumelia est, omne dictum, vel factum continens, ad contemptum, aut infamiam, aut dolorem alterius directum.

QUAS PUBLICO CERTAMINI EXHIBET, QUI SUPRA, DIVINO FAVENTE NUMINE, SUB AUSPICIIIS D. D. D. JOSEPHI EMANUELIS BALAGUER, CENSORIS REGII, JURIS Utriusque Examinatoris, primariæ Legum Cathedræ Moderatoris in Hac Pontificia ac Regia Orceletana Universitatè Die 27<sup>æ</sup> Maii, Hora 2<sup>a</sup> Anno M. DCC. LXXXI.

Vt. D. D. Marianus de Perea Univ. Rr.

Vt. D. D. Josephus Emmanuel Balaguer Cen. Reg.

Oriole, Ex Praelo JOSEPHI VINCENTII ALAGARDA, ET PETRI XIMENEZ ET LOPEZ.





A VITAE NOBILITATE

THE ROYAL: ANIMAL


THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY

100 ST. GEORGE STREET

TORONTO, CANADA

M5S 1A5



FRANCIS & TAYLOR

THE UNIVERSITY

OF TORONTO

LIBRARY

100 ST. GEORGE STREET

TORONTO, CANADA

M5S 1A5

A. G. G. G.